

52

RECTOR  
GYMNASII ZITTAVIENSIS  
AD  
REPETENDAM MEMORIAM  
*VIRI*  
PER QVADRAGINTA ANNOS DE  
LITERARIO HOC ORDINE  
MERITISSIMI  
**DN. ELIÆ WEISII,**  
MENSE APRILI M DC LXXIX.  
REBUS HUMANIS EXEMTI,  
*QVAM*  
**VALEDICTORII SPECIMINIS**  
LOCO  
*ad d. XXV. APR. M DC LXXX.*  
**IN MAJORI AUDITORIO**  
H. L. Q. S.  
CONCELEBRABUNT  
JUVENES AD ACADEMIAM DIMITTENDI,  
**JOHANNES RUDOLPHUS à Landifß/**  
&  
**JOHANNES SIGISMUNDUS Möller;**  
DECENTER ET OFFICIOSE  
INVITAT  
ZITTAVIAE,  
TYPIS MICHAELIS HARTMANNI

**N**Ovum scribendi genus suscipio.  
Dum enim ad Academiam tendunt duo Juvenes,  
ac Valedicendi suum officium  
meâ Præscriptione commendari postulant;  
non Fautorem, sed Adversarium me inveniunt.  
Accuso, qvi debebam adsistere:  
Improbo, qvi alios probaturos debebam invitare.  
Nam cur dissimulem?

In pudoris me certamen adduxerunt,  
ut, qvi reliqvis viam scribendi præire jussus sum,  
qvid scribi possit, non videam.  
Et eo me deprehendunt in resistendo debiliorem,  
qvo certiorem allegant pietatem.

Uno verbo,  
Invitandi Formulam exigunt,  
postqvam ipsi  
**BEAT. MEUM PARENTEM**  
Publica PARENTATIONIS memoriâ  
celebrare constituerunt.

An igitur, quod ab extraneis decenter fieret,  
ego faciam in causa domesticâ?

An, siqvid à Viro solertissimo præstitum est,  
alii defunt debuccinatores,

qui filium à verecundo hoc opere absolvant?

Sanè qvid ipse debeam **ELIÆ**,  
sic profiteor,

ut ne has qvidem lineolas essem exaraturus,  
si abfuisset prævia manuducantis industria.

Interim qvi jam scriptus sum hæres,  
propriam velut sector laudem,  
si celebrari cupiam priorem hæreditatis  
Possessorem.

**Ait**

Ast

publica me premit Functionis lex,

quam uterq; seqvitur:

sive in valedicendo obsequium,

sive in deprædicando spectes pietatem.

Filius sum, qui possit refugere;

Rector sum, qui jubetur recipere.

Accuso itaq; ut Filius;

Absolvo, ut Rector.

Sed ita absolvo, ut utrumq; sua maneat poena.

Senferunt in corrigendo me segniorem,  
ne allegare quis posset propriam meam manum,  
in testimonia domestica effusam.

Adeoq;

rogo velint adesse PATRONI & FAUTORES;

simul tamen testor,

nihil audituros quod stylum sapiat meum.

Si constet sibi elaboratio,

sincerum habeant encomium;

si vicissim aliquva proferri potuissent accuratius,

habeant sibi hanc culpam,

quod argumentum attulerint mihi spinosum,

meisq; digitis minus tractabile.

Et vero commendabunt EMERITUM,

Superiore Aprilis Mense contumulatum.

Prior

LANCKISIUS

Celeberrimi apud nos Medici, Physiciq;

Ordinarii Filius,

eodem postea Studio initiandus,

AMOREM extollet

quem ipse declaravit Discentibus;

Ali-

Alter  
MÖLLERUS  
Prætoris nuper, septimo inter Patres loco, defuncti  
Filius,

Jurisprudentiæ datus nomen,  
AMOREM mirabitur reciprocum,  
qvem Viro Amabili obtulerunt Discentes.

Ac crediderunt sanè,  
tum se inventuros Auditorium amantissimum,  
si Amor Sermonis utramq; ficeret paginam.

Qvamobrem,  
sive per memoriam BEATI SENIS  
rogare fas est;  
sive tanta sunt PARENTUM merita,  
qvibus hoc de Filiis testimonium non denegetur;  
sive ipsa Juvenum indoles meliora jubet sperare;  
singulos rogo ac veneror,  
nolint Benevolentiam aliis concessam, hic dispen-  
sare parcias.

Qvod si enim, hujus Amoris causa,  
debitorem vix habituri sunt Filium,  
certè nec immemorem, nec imparatum  
agnoscent Rectorem.

Ita Deus servet singulos Civitatis ordines!  
Ita Scholam Patronis reddat florentissimam,  
ac in demerendis Patronis felicissimam!



Dab. è Gymnas. Postrid. Fest. Paschat.

M DC LXXX.

